

Tempore

quippe erit hyems et sabbatum. id tale tempus quando nec homo dignos fructus facere poterit penitentie. nec etiam ei tunc operari licebit. quia tunc ligata erunt manus et pedes peccatorum. Et certe tunc peccatores tantam tribulationem sustinebunt quantum et lingua humana non poterit explicare. Et nota quod et ut efficacius possis pulsare debes predictam manum vel petram vel ferreo malleo vel etiam baculo roborare. Per petram intelligit ipse Christus qui virga hoc est lancea percussus in ara crucis perfudit aquam et sanguinem ut habet Ioh. 19. Per ferreum malleum intelligit crux dominica que contrinit aereas potestates. Per baculum etiam figurat virgo maria. Per hanc enim in via huius seculi sustentamur ne deficiamus. De tercio nota quod modo est tempus quando ad hostium diuine misericordie pulsare debemus. Legit enim Matth. 25. Quod cum venisset sponsus que parate erant intrauerunt cum deo ad nuptias et clausa est ianua. Super locum illum dicit Bern. Veniunt homicidae et admittunt. veniunt publicani et meretrices et recipiunt. veniunt sodomites molles adulteri fures et qualescunque sint peccatores et patens ianua eis non negatur. Multus est enim ad ignoscendum et prestabilis super malitia quali aut quanta cumque. Tunc autem quod clausa est ianua. Ianua peccatoris et misericordie Christi. que lacrimis suspiriis et gemitibus et precibus penitentium tam facile patet clausa est nullius penitentia nullius oratio. nullius gemitus amplius admittetur. Rogate ergo dominum ut tam fortiter ad ianuam diuine clementie nunc pulsemus ut post hanc vitam in aulam eterne beatitudinis recipi mereamur. quod nobis prestare debet.

In die ascensionis domini. Sermo. xlii.

Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis assumptus est. Marc. ultimo. Christus dominus dixit in die ascensionis suis discipulis. Signa autem eos qui in me crediderint haec sequentur. De hoc inquit Gregorius. Nunquid quod ista signa non facimus minime credimus sed haec necessaria in exordio ecclesie fuerunt. ut enim fides cresceret credentium miraculis fuit nutrienda. quod et nos cum arbuta plantamus. tamdiu ea aqua perfundimus quousque ea iam in terra equali ille videamus. Quali dicat beatus Greg. sic arbuta iam planta et aquis perfusa per se radicant. sic et homines in primitiua etiam non solum verbis sed et miraculis intantum radicati sunt quod iam non est opus signis. Postquam ergo dominus Iesus locutus est discipulis suis de signis tunc assumptus est.